EPISTOLA FRANCISCI BOCCHII AD PERILLUSTREM PHILIPPUM...

Francesco Bocchi

Digitized by Google

1012.17

A5

EPISTOLA
FRANCISCI
BOCCHII

AD PERILLVSTREM PHILIPPVM
VALORIVM

Ruinam, ſtragemq́; fractæ Pergamenæ Florentinæ teſtudinis deplorantis; Piſas.



FLORENTIAE,
Apud Michaelangelum Sermartellium. B. F.
MDCIIII.

1012 17

PERILLVSTRI PHILIPPO VALORIO

FRANCISCVS BOCCHIVS SAL.

PISAS vſque fortaſſe exauditus eſt ſonitus horribilis, quo noſtra ciuitas paulò ante territa eſt. Numquam enim poſt hominum memoriam tam grauis omnium animos terror occupauit, quàm Florentię factum eſt tunc, cùm pars excelſior ſacræ teſtudinis fulmine percuſſa eſt. Dies triginta, aut amplius cœlum nubibus clauſum fuerat; lento quodam humore madebant omnia: & vnuſquiſque, qui aliquid ſaperet, cùm ſibi continentibus pluuiis ad timorem cuncta proponeret, neſcio quid triſte animo ſecum agitabat. Sexto igitur Calend. Februarii paulò poſt quartam noctis horam, cùm eadem diræ tempeſtatis conditio maneret, repentè coortis imbribus grandine mixtis, nec ſine vento, pyramis ſublimior horribili fulmine percuſſa lato hiatu momento temporis proſciſſa eſt. Ad ſonitum tremendi fragoris excitata eſt finitima regio cunctis in locis; & cùm ardere cœlum videretur, ne ſubiectam ſibi Florentiam exureret, non ſine cauſa timebat. Ter eodem penè tempore triplici fulmine pars ea, quæ à ſimilitudine laternæ nomen habet, horribili ſtrepitu itidem percuſſa eſt; qua violentia ingentia marmora repentinò ſuis locis excuſſa ſunt; &, cùm varias in partes Eccleſiæ inciderent, miſerandum in modum ſubiectum ædificium deformarunt. Pila verò inaurata vnà cum cruce, quæ aliàs eiuſmodi vim aut eluſerat, aut firmitate ſui roboris excluſerat, nunc præcipitantis fulguris impetum non tulit. Expulſa enim ſuo loco repentè decidit, & telluri ſe magno cum ſonitu inflixit. Quod mirum tamen viſum eſt, mira ſtatim ſerenitas ſecuta eſt; quaſi ipſa tempeſtas, plena irarum, cùm furenter excurreret, illato inſigni detrimento, aliquid de ſua ſæuitia remittendum eſſe iudicaret. Qui finitimis in locis ſui negotii gerendi cauſa ſub dio erant, ad ſtrepitum ingentis ſonitus reſtiterunt; & longe à periculo rem totam oculis nota-

runt. A meridie, atque è regione ſacræ teſtudinis erupit repentinò è
nubibus fumeus ignis, & croceus, & viridis, qui horrendo comitante
fragore criſpiſulcans, & ruens eam partem percuſſit primò, quę finitima
pilę, & cruci ad terram deiecta ſubitò eſt. Ardere cœlum miris modis,
& tota vrbs viſa eſt conſidere in igne. Qui aberant longius, & res cun-
ctas animo, & mente obſeruabant, omnino tam dira tempeſtate aliquod
noſtrę vrbi exitium allatum eſſe cogitabant. Qui verò domicilium fi-
nitimum teſtudini, & pænè ſubiectum habebant, diem planè extremum
orbi terrarum veniſſe iudicabant. Igneo enim vapore ſubitò afflati, &
luce diri luminis oppreſſi, ſtupẽtibus animis attoniti, mortem, cùm iam
de vita deſperaſſent, expectabant. Ingentium marmorum fruſtis ex al-
to decidentibus, cùm ruere circa ſe omnia putarent, nec ſine periculo
manere, nec tutò fugere poſſent, cunctis rebus perniciem minantibus,
conclamatum iam eſſe de omnium vita perſuaſum habebant. Magnas
ingentium marmorum moles intueri, quas viginti hominum vis diffi-
culter ergatarum præſidio moliri ſolet, etiam nunc viris grauibus ter-
rori eſt: quibus vel periculo defunctis & audiri ſtrepitus, & ceruicibus
imminere ruina cadentis teſtudinis videtur. Si viueret nunc is, qui
tam ſublimè, tam mirandi artificii pulchritudinem excitauit, doleret
vtiq;, niſi fallor, & magno ſe mœrore afflictaret; cùm eam partem abeſ-
ſe perſpiceret, quæ & dignitatem teſtudini, & ſplendorem operi ſua
ſponte pulcherrimo addere ſolebat. Comminuit vis fulguris minutiſ-
ſimas in partes, quicquid lignorum nacta eſt, & marmorum eius loci,
qui medius teſtudini ſubiectus eſt; vt commigrare aliò ſacerdotum cho-
rus ſit coactus, qui ibidem quotidie ſacra conficere, & diuinis precibus
dare operam conſueuerat. Sed tamen, vt in malis hæc res vna conſola-
tur; quòd teſtudo ipſa nullo loco rimoſa, & vim cadentium marmorũ
fortiter ſuſtinuit, &, ne ſe ipſam fulgurum immanitas infringeret, per-
bellè propulſauit. Hæc tamen excelſior, & pulchrior, & dignitatem
ſuam retinet, &, vel nobis lugentibus, ſuo ſplendore adhuc ridet; quæ
& pulchritudine, & robore munita, quicquid irarum moliatur aer, faci-
le eludit. Compertum nobis eſt, totam noſtram vrbem exultaſſe lętitia,
cùm ſublimior illa pars tam ſcitè, tàm commodè conſtituta eſt; nunc
contrà cadunt cunctis pænè lacrimæ, cùm eam deiectam, & deforma-
tam intuentur. Signis, ædificiis, picturis noſtra ciuitas ita ornata eſt, vt
ceteris ciuitatibus omnium conceſſu antecellat; Sed hoc vno artificio
ſacrę teſtudinis cuncta omnium locorum artificia orbis terrę conſenſu
ſuperauit. Philippus, à quo ſacrum hoc ædificium conflatum eſt, nul-
lo loco aliquid eiuſmodi viderat, nullis in monimẽtis legerat, neminem
denique audierat, quamobrem aliorum exemplo rem tantam inſtitue-
ret, atque opus omnium maximum conficeret. Sua ipſius induſtria ex-
citatus, & diuino fretus præſidio eam operis formam ſui ingenii acu-

mine inuenit,quæ omnium oculis, ſimul atque viſa eſt, attulit admirationem, & lętitiam. Minimè hæc ipſa ratio ædificii artificium Doricum, aut Corinthium ſpectat, aut Tuſcum; ſed diſſimilis ceterorum,& ſui tantum ſimilis, mirandam in altitudinem abſolutę pulchritudinis, hanc, quam videmus, molem ad cœlum excitauit. Multis ille difficultatibus conflictatus, & pęnè oppreſſus parùm abfuit, quin rerum magnitudini ſuccumberet; qui tamen ſibi addens animum emerſit tandem; &(quò volebat)ingenii acumine peruenit. Res nulla toto terrarum orbe tam viſenda eſt, quę & operis amplitudine, & ingenii præſtantia, & pulchritudinis maieſtate cum hac ſacra mole conferenda ſit. Efferant igitur, vt libet, cuiuſuis loci homines res ſuas, ſuiſq; in operibus lętentur; dummodo nobis hac illuſtri induſtria huius mirandæ pulchritudinis liceat gloriari: etenim eò eius laus progreſſa eſt, vt admirari poſſit facilius vnuſquiſque,quàm laudare; magiſq; tacitis vocibus efferre, quàm pro merito vlla ex parte celebrare. Illis,qui lōginquis ex locis noſtræ vrbis pulchritudine euocati ad nos veniunt, ſimul atque incipit fulgere ad oculos huius teſtudinis ſplendor,primò lętitia, deinde, cùm appropinquant, admiratio, poſtremò ſtupor, cùm abſunt propius,exoritur; cùm verò admirandę altitudini oculos ſubiiciunt,& miro ordine res cunctas ſuis locis inſtitutas intuentur, tunc nihil magnificentius, nihil ſplendidius,nihil viſendũ magis ſe vmquam vidiſſe profitentur.Lucet glorioſi artificii moles ſua ſponte,quam Philippi induſtria fabricata eſt, ſummis laudibus celebratur omniũ vocibus; cui profectò ſi reliquum ædificium,quod eſt ab ima tellure excitatum,reſpōderet,futurum omnino arbitrarer, vt nulla laus pro merito, nulla celebratio par reperiri poſſet, quæ ad tantam abſoluti operis dignitatem poſſet aſpirare. Quicquid erat in Italia optimi artificii,atque induſtriæ, Gotthis,& Longobardis cuncta tenentibus,conculcatum eſt, &, furente barbarie, ablatum.Quæ iactura facta ſit nobilibus in artibus, nequaquam paucis verbis poſſem enarrare; obmutuit enim vis dicendi; rerum optimarũ contemplatio oppreſſa eſt; tam graue eſt vulnus melioribus literis impoſitum,vt, quo nam pacto qui tam magno malo mederetur, nemo omnino poſſet reperiri. Humanitas, quæ literis, & moribus excolitur, & facta eſt incultior, atq;, inſultantibus barbaris,pænè extincta. Signorum, & picturę vaſtitatem experta eſt illorum temporum conditio;ipſa verò ædificandi ratio nobiliſſimis in ædificiis vim barbarorum grauiter ſenſit,& peſſimè accepta eſt. Vt cũ maioribus noſtris cupiditas iniecta eſſet, vt noſtri Saluatoris Matri templum quàm ampliſſimum extruerent,qua tamen id aſſequerentur, ars omnino ampliſſima deeſſet. Vigebat ędificandi quędam ratio inepta,& barbara, quæ ab nobili, antiquorum ratione diſcedens ſpeciem illam pulchram, & rectam deformarat, &, quicquid attigerat, mille ineptiis inquinare conſueuerat.

rat. Subiectum igitur ędificium ſuo quodam iure, & operis magnitudine ſe tuetur; ſed, ſi oculos ad teſtudinem referas, quę prę ceteris mirabiliter lucet, nihil omnino ad tantam pulchritudinem, quæ omnium vocibus excellit. Obſoluerunt hoc tempore ſuis in monimentis, quæ orbis terræ miracula appellantur; quæ tamen ſi nunc extarent, præ magnitudine admirabilis induſtrię huius ſacrę teſtudinis obſoleſcerent, vt opinor, & minimi à cunctis puterentur. Vtinam eadem forma ædificii molem totam complexa eſſet, & cum artificio, quo Philippus vſus eſt, planè conſentiret: qui ſplendor, ſupreme Deus, quæ pulchritudo ęmerſiſſet, cùm vel hoc incomodo ſubiecti ædificii teſtudo lucet tam mirabiliter, ſuamq; pulchritudinem tam ſplendidè oſtendit? Monſtri ſimile antea videbatur, vt vnius hominis vis tam altè, & tam egregiè, tam admirabile ædificium excitaret, quod mille hominum virtus moliri poſſe non putabatur: experta eſt noſtra ciuitas, quantum acerrimi hominis valeret ingenium, quantum ſingulari induſtria ſe efferret, quàm valde res miras mentis altitudine efficere poſſet. Opus igitur mirum, & excelſum, mirisq; laudibus circumfluens, quibus laudetur commodè caret planè nominibus; ars enim inuſitata, & præ magnitudine induſtrię inaudita non dum inuenit nomina, cùm vnuſquiſq; laudes laudibus ad ſuum arbitrium quotidie cumulare non deſiſtat. Spiras illas, candentibus marmoribus inſignes, ſic enim libet appellare, quæ teſtudinis tectum mirabiliter diſtinguunt, quoties inſpicimus, nonne miro quodam ordine artificii delectari, & pulchritudinem nuſquam alibi viſam ſummam in nobis moliri voluptatem tacitè ſentimus? Hāc ipſam pulchritudinem excipit deinde laterna magnis explicata marmoribus, & pars ea eminentior deinceps exurgit, quæ pilæ eſt finitima, & cruci; vt, cùm vtraq; ſenſim, & decorè cuneatur in cœlum, eam ſpeciem viſu illuſtrem omnium oculis efficiant, quam nemo vſquam alibi nec huic pulchritudini parem ſe vidiſſe fateatur. Nonne id perſpicuum eſt, dum res ſingulas vna ratio ſapienter complexa fuerit, qua vnaquæq; ſibi ſeparatim, & mirabiliter reſpondet, ita eſſe opus conglutinatum, & perfectum, vt in eo nihil, niſi ſumma induſtria elaboratum, nihil niſi miro artificio concluſum eſſe planè affirmes? Si quid enim in pila, aut in cruce, ſi quid in teſtudine, aut laterna addideris, aut dempſeris, nonne cuivis erit exploratum, minus omnino elegans, & deterius futurum? A noſtris hominibus, qui pietati multum tribuunt, in ore eſt illud, & crebrò vſurpatur, fieri numquam potuiſſe, vt ędificium, quod à Philippo prodiit, ſine pręſidio diuino tam abſolutè, tam egregiè, tam mirabiliter conficeretur; atq; idcirco neceſſe fuiſſe (quoniam diuinis rebus inſeruiendum erat) vt tum vis quędam diuina in eius animum influeret, cùm hanc ſacram molem extruendam ſuſcepit. Iure optimo Bonarotus, qui ceteris huius artificii laude ſemper præſtitit, cùm teſtudinem

ſacrarii

ſacrarii Diui Laurentii ædificare deberet, rogatus ab amicis, vtrum eandem formam, qua vſus erat Philippus,an longè aliam eſſet inducturus, grauiter reſpondit; facilè fore vnicuique,vt variaret; vt verò hac ſacra teſtudine meliorem efficeret, nemini vmquam ſucceſſurum. Cùm ad ſummum ædificii peruentum eſt ędificando, atque vniuerſa ciuitas ſuſpenſo animo eſſet,quorſum tam magni conatus tandem euaderent,anno MCCCCLXI. VIII. Calend.Maii Archiepiſcopus Neronius toto cum Clero ad teſtudinis planitiem aſcendit, vt priuo lapidi,'qui erat apponendus, & extremo de more benediceret. Præſtò tum fuit etiam primatibus cum ſenatoribus Vexillifer, qui rem ſumma cum lætitia inſtitutam ſua præſentia honeſtaret. Non defuerunt muſici, qui eis, qui rerum potiuntur,ſuam operam nauare ſolent;vt faterentur omnes, quòd ſacræ teſtudini fauſtum eſſet, & felix, nihil vnquam eſſe actum nec magnificentius, nec glorioſius. Hanc ipſam ſpeciem tam diſſimilem, & tam mutatam nunc ſi viderent ii, qui tum interfuerunt, magnum profectò acciperent dolorem, nec mediocri ſe vulnere petitos eſſe confirmarent. Quod tota vrbe nihil eſt formoſius,immo quod toto terrarum orbe nihil eſt illuſtrius,nunc tam peſſimè acceptum eſſe, & deformatum, ita eſt nobis omnibus dolendum, vt vix, quo poſſimus conquieſcere, vllum ſolatium reperiatur. Prӕterea id ipſum omnium mirabilium maxime mirandum iacere in ſquallore, & deformitate, ita eſt miſerum, vt numquam nobis prӕſertim ante hoc tempus ſit auditū. Mandato tamen Magni Ducis datum eſt negotium viris ędificandi peritis,qui rem inſpiciant, & nutantem pulchritudinem confirment. Idcirco comparantur marmora,aduehuntur trabes, euocantur homines; cura denique exquiſitiſſima adhibetur, vt ſua dignitas teſtudini quàm celerrimè, & quàm commodiſſimè reſtituatur. Suſpirat tota ciuitas, nec ſine gemitu ad eam partem, quę deformata eſt, oculos referre poteſt; quæ tamen expectatione remedii recreata non nihil ſe exhilarat, nec diu ſumma delectatione carituram arbitratur. Diuina probitate factum eſt, vt omnium animos terror, neminem pernicies attigerit: iactura grauioris impenſę facta eſt; ſed tamen nemo tam atroci caſu, & tam horribili deſideratus eſt.Cùm à nobis multùm abfueris,mei officii eſſe duxi,vt ad te ſcriberem, & de re tam graui certiorem facerem. Ea enim comparantur, viris clariſſimis in cauſam incumbentibus, vt, ſi quid mœreres, facilè iſtum dolorem tibi his meis literis exhauriri poſſe arbitrarer. Quod ſi vſu venit; & à me meo officio conſultum eſſe, &, me de re tam graui nō fruſtra ſcripſiſſe gratulabor. Vale Florentia VII. Idus Februarii.CIↃ.DC.

FINIS.

Z 1012 17

99 95 5931

MC